Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 649
Quelle:
Copyright:

Fol. 170. *Lactantij. fir. de opificio hominis ad Demetrianum Liber Incipit.* Haec rurſus rubro. Libri exordium: *Quam minime ſim quietus* &c. C. I. ſub finem noſter quoque legit: *oculis contractari.* C. II. ſub initium *pellibus* legit pro *pilis;* melius fortaſſe; non enim omnia animalia pilos habent. C. vero III. *boues luce*, cum *boves lucas* (Elephantes) *aut equos*, reſcribendum eſſet. Sub finem C. IV. adſunt verba: *que reuerentia inter ſe? quis ordo?* quae Pariſina repudiat. C. VII. poſt initium nihil de *imagine*, ſed expedite legitur: *innumerabiles animantium preferat uarietates.* C. VIII. ubi de Sono in aures recepto ſermo eſt, malo noſtri: *foramina ipſa conueberent*, quam Pariſinae *cobiberent.* C. XI. duas interjectiones: *in quod ſpiritus reciproca viciſſitudine commearet*, et: *ut flecti cervix, ac moveri facile poſſit*, non agnoſcit noſter. C. XIX. Oratio Manichaeiſmo favens et paſſim veteratori cuipiam adtributa inſerta eſt; incipit vero: *Dedit ei et conſtituit adverſarium* &c. et finit: *victus proſtratusque diſcedit.* Ultima Libri: *ad iter cæleſte direxerit*, et rubro: *Lactantii firmiani de opificio hominis liber finit.* Haec Speciminis inſtar de Codice, cujus notitiam *Heumanno*, *Bünemanno*, *Lebrunio*, *Lengletoque*, ultimis *Lactantii* editoribus, non ingratam futuram fuiſſe mihi perſuadeo.

CCVIII. VII. B. 15

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 256. f. nitidiſſime exaratus, fronte et literis initialibus deauratis, artificioſeque picturatis complectitur *Coelii Lactantii Firmiani* Sec. IV. Scriptoris *Opera* locis graecis rite ubique inſertis, et variis in margine caſtigationibus adpoſitis. Inſcriptio purpurea ſic habet charactere quadrato: *Firmiani Lactantii Divinarum Inſtitutionum Aduerſus Gentiles. Liber Primus.* Libri omnes ſeptem integerrimi ſunt, non tamen in Capita diviſi. Lectio paſſim proba, et ad recentiſſimas editiones, *J. Lud. Bünemanni* Lipſienſem 1739. 8. et Pariſinam *J. B. Le Brunii* 1748. 4. intelligimus, accedens. Ita L. II. init. legitur: *conuectis inanibus.* L. III. reſtituitur: *niſi ornatu aliunde queſito circumlitum fuerit ac politum.* Sub finem L. IV. cum aliis Haereticis nominantur et *Arriani.* Poſt init. L. V. ubi de *Cypriano* ſermo eſt, non comparet interjectio illa: *Unde apparet diſertiſſimo* &c. L. VI. init. *et ſcientiam* legit noſter, non *et conſcientia.* Verſus finem L. VII. abeſt tota illa ad *Conſtantinum* Imp. apoſtrophe, quae incipit: *Sed omnia jam ſanctiſſime Imperator* &c. Haec ſpeciminis ergo; plura enim jam ad praeced. *Lactantii* Codicem adnotavimus. Illud addendum: graecorum locorum interpretationem latinam ipſi textui ubique inſertam eſſe.